



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Habacvc Propheta

Habakuk

Argentorati, 1526

VD16 B 3952

Væ illi, qui sua alienis rebus auget, Quamdiu illud persistet, qui densum
super se lutum cumulat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35974

ANNOTATIONES.

scipulos eius insequantur & interimant: illis potentissime cum in terra sua, tum dominatu permanentibus. Ergo ad hanc rem fide opus est, Sermones fidei sunt, quæ quod dicunt, non in apricū exponūt, ceterū futura, aduersus hæc, quæ corā uidentur, & plena uela habent, promittūt, Christi Euangelion nusquā efficacius & potentius peruenit, quā ubi summo conatu uetabatur. Sua enim horula instante, tyranni occumbebant, uerbo manente superstite, paradigmatis uicem Hierosolyma & Roma tibi præbent. Et hodie ubi principes & Episcopi atrocissime in Euangelium seuiūt, eo peruenire cogitur, maximeq; diuulgari. Tum ridebitur ac dicetur. Quo nunc se contulere, qui hoc admittere nonlebāt? In monumentis iacēt, uermibus absumūtur. Verbum uero dei sua dominatione fungitur porro. Sic Hānus & Cayphas uerbū Hierosolymis permittere adigebantur sui ipsorum cum ludibrio. Iā ubi Christi uerbum est & permanet, illic Christi uictoriam & regnū permanere dicitur. Ipse enim sua cum doctrina uincit præ qua aliæ traditiones, murium ritu tacere compelluntur, ut quotidianis exemplis cernimus.

Væ illi, qui sua alienis rebus auget;
Quamdiu illud persistet? qui densum
super se lutum cumulat.

Ordine quedam hic opprobria recenset, quæ in Babylonico Tyrannum in sua terra iacienda essent.

Sunt

Sunt autem quatuor. Quintum uero Habacuc à se ad iecit. Quod uero tam ludibriorum plenus sit, ad o[mn]i[m] potentem Regem derideat, perpetuo sic accipiendum est, cor eius eo directum esse, ut Iudeos consoletur, ne de aduentu Christi desperent. Nam hic potissimum, uti dictum, Prophetae scopus est, ut infirmos in desolatione Hierosolymorum subsulcire & conseruare uelit.

Prima derisionis Ode, que de hoc exanimato ebrío q[ue] tyranno canetur & palam undiq[ue] terrarum predicabitur, De eius auaritia est, qua immensa bona ex omnibus terris corrasit. Hec enim mundi & natura & ordinatio est, ut primum nummos & facultates querat, deinde uero alta edificantur Pergama, post hæc uoluptates & gaudia, ultimo loco magistratus & honores queruntur. Atq[ue] hæc quatuor posthac in ebrij tyranni derisorijs sententijs ordine uidebimus. Rem suam familiarem (inquit) auxit, non diuina benedictione aut largitione, ut Reges Israel & Iuda in sua terra, cæterum alijs temere ac uolenter rapuit, Hoc est, quod o[mn]es prouincias in suam redegit potestatem, census, & nihil non exactionum erigens, donec ad sese, quicquid in terra esset, corradere, neque illud ex Dei iussione, sed ex mera philargyria & arrogancia (quanquam Dei promissione) Tyrannorum omniumq[ue] regnorum consuetudine, que bellis & iniuria, citra Dei iussum, oriuntur,

ANNOTATIONES.

oriuntur, unde & huiusmodi regna Spolij montes uo-
cantur. Psal. 75.

Quamdiu durabit? Non secus agit, ac in æternum
ita duraturum esset. Derisoriã huiusmodi Oda, nemo
canere ausus fuisset, regnante adhuc Tyranno, neque
enim perpetratus fuisset. Iusti enim haberi uolunt Tyrannos,
nec uolunt alienum esse bonum, quicquid hoc modo
lucratur. At postquam nullus est, libere cantillatur
hec Oda, rideturq; habendi eius cupiditas summa li-
bertate, magno ipsius dedecore, utpote qui iure interi-
erit, ut publicus terræ deprædator, quiq; tam diu alie-
na bona obsederit, quæ iam sui cum ignominia redde-
re cogitur. Ac huiusmodi bona, multum densumq; lu-
tum adpellat. Non sui ipsorum tantum nomine, cæte-
rum quod per hæc omnium terrarum & populorum
odium, inuidiam & inimicitiam super se coaceruet,
sub quibus suffocatur & supprimitur, quod mali nec
auertere, nec reijcere a se potest. Nam qui in luto hæ-
ret, ille se nusquam uertere potest, sed sistendum illi
est. Eadem ratione, qui populi gratiam, fauorem ami-
serit, is omni semota consolatione, simpliciter perdi-
tus est.

Quam subito euigilabunt, qui te
lancinent. Et expergefient, qui te e
throno tuo amoueant. Tuq; in illo-
rum cassidem incidet.

Hec